

## Phoenix

Plinius Maior, Naturalis historia X, 2, 3-5

Aethiopes atque Indi discolores maxime et inenarrabiles ferunt aves et ante omnes nobilem Arabiae phoenicem, haud scio an fabulose, unum in toto orbe nec visum magno opere. aquilae narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cetero purpureus, caeruleam roseis caudam pinnis distinguentibus, cristis fauces caputque plumeo apice honestante.

primus atque diligentissime togatorum de eo prodidit Manilius, senator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo: neminem extitisse qui viderit vescentem, sacrum in Arabia Soli esse, vivere annis DXL, senescentem casiae turisque surculis construere nidum, replere odoribus et superemori. ex ossibus deinde et medullis eius nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum, principioque iusta funera priori reddere et totum deferre nidum prope Panchaim in Solis urbem et in ara ibi deponere.

cum huius alitis vita magni conversionem anni fieri prodit idem Manilius iterumque significaciones tempestatum et siderum easdem reverti, hoc autem circa meridiem incipere quo die signum arietis sol intraverit, et fuisse eius conversionis annum prodente se P. Licinio Cn. Cornelio cos. CCXV. Cornelius Valerianus phoenicem devolavisse in Aegyptum tradit Q. Plautio Sex. Papinio cos. allatus est et in urbem Claudi principis censura anno urbis DCCC et in comitio propositus, quod actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitaret.

Albertus Magnus, De animalibus, XXIII,42

**42. | Fenicem avem esse Arabiae in Orientis partibus scribunt ||  
hi qui magis theologyca mistica, quam naturalia perscrutantur. | Dicunt  
autem hanc avem |; sine masculi et sexus commixtione | solam in sua  
esse specie, et venire in orbem, et trecentis quadraginta annis vivere  
et solitariam.**

| Est autem, ut dicunt, aquilinae magnitudinis, caput habens  
coronatum ut pavo, fauces etiam habet cristatos, circa collum vero  
fulgore aureo purpureus est, caudam habet longam purpurei coloris  
pennis quibusdam roseis interscriptam sicut interscribitur cauda pa-  
vonis quibusdam orbibus ad modum oculorum formatis: et est haec  
varietas mirae pulcritudinis. Cumque sentit se aetate gravari, construit  
nidum in alta et abdita super limpidum fontem sita arbore ex thure  
et mirra et chiamomo et aliis aromatibus pretiosis, et ruit in nidum  
et se radiis ferventibus solis obicit et illos resplendentia pennarum  
multiplicat donec ignis elicetur, et sic se cum nido incendit et incinerat:  
dieque altero dicunt vermem in cineribus nasci, qui alis die tertio  
assumptis infra paucos dies in avem pristinae figurae commutatur:  
et tunc avolat.

Referunt etiam hoc iam semel in Helyopoli Egipti civitate acci-  
disse quod super compositionem lignorum sacrificiorum avis haec aro-

**mata comportans se incendit et ad visum sacerdotis prius dicto modo  
duabus generationibus vermis et avis formata est et avolavit: et sicut  
dicit Plato, „non sunt a nobis calumnianda quae libris sacrorum delu-  
brorum conscripta referuntur.“**

## Delphinus

Plinius Maior, Naturalis historia IX, 8, 20-24

Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est delphinus, ocior volucre, acrior telo, ac nisi multum infra rostrum os illi foret medio paene in ventre, nullus piscium celeritatem eius evaderet. sed adfert moram providentia naturae, quia nisi resupini atque conversi non corripiunt, quae causa praecipue velocitatem eorum ostendit. nam cum fame conciti fugientem in vada ima persecuti pisces diutius spiritum continuere, ut arcu missi ad respirandum emicant tantaque vi exiliunt, ut plerumque vela navium transvolent.

vagantur fere coniugia; pariunt catulos decimo mense aestivo tempore, interim et binos. nutrunt uberibus, sicut ballena, atque etiam gestant fetus infantia infirmos; quin et adultos diu comitantur magna erga partum caritate.

adolescent celeriter, X annis putantur ad summam magnitudinem pervenire. vivunt et tricens, quod cognitum praecisa cauda in experimentum. abduntur tricens diebus circa canis ortum occultanturque incognito modo, quod eo magis mirum est, si spirare in aqua non queunt. solent in terram erumpere, incerta de causa, nec statim tellure tacta moriuntur multoque ocius fistula clausa.

lingua est iis contra naturam aquatilium mobilis, brevis atque lata, haut differens suillae. pro voce gemitus humano similis, dorsum repandum, rostrum simum. qua de causa nomen simonis omnes miro modo agnoscant maluntque ita appellari.

Delphinus non homini tantum amicum animal, verum et musicae arti, mulcetur symphoniae cantu, set praecipue hydrauli sono. hominem non expavescit ut alienum, obviam naviis venit, adludit exultans, certat etiam et quamvis plena praeterit vela.

Albertus Magnus, De animalibus, XXIV,40

**27        40. | Delfinorum || in mari multa sunt genera. Hoc autem quod s.  
.Irequentius videtur in mari, animal est nigrae pellis, caput habens  
breve et dentes in ore continuos sicut sunt molares dentes porci, et  
diligit homines: diligit etiam id quod est sua specie, | ita quod pullis  
ejus gregatim ambulantibus duo custodes delfini magni ponuntur et  
si quid de sua specie mortuum fuerit, alii custodiunt ipsum ne ab aliis 10  
pisibus devoretur donec ipsum mare eiecerit. ||**

**In mari magno mediterraneo quod Ytaliam duobus tangit late-  
ribus, piscatoribus ad piscandum ad mare euntibus delfinorum grec  
congregatus vadit cum eis et in mari per modum coronae cingunt  
pisces et coartant ad retia propellendo: ab Ytaliciis enim delfinus non 15  
comeditur nec eum piscatores venantur, sed potius de captis piscibus  
delfinis dant aliquam portionem: et hos delfinos Ytaliici tumberello  
vocant eo quod tumbantes ante naves aquam evomunt.**

Hoc animal tempestatis tempore de fundo fugiens ad superficiem, futuram nuntiat tempestatem.

20

| Est autem ut dicunt magnae aetatis, quod etiam compertum esse dicunt aliquem amputata cauda centum annis et amplius vixisse: sed post decem mensium tempus coit, et coitus eius est velox, eo quod testiculos et veretrum habet interius. et femina resupinata sub mare per vulvam quae est sicut vulva balenae et mulieris accipit semen.

| Hoc animal gaudet musicis, ita quod Arionem quemdam citharoedum qui cithara cantaverat in mare projectum excipientes delfini impulerunt et detulerunt ad litus. Alio in tempore cum Cariae rex delfinum quemdam magnum cepisset, multitudo magna delfinorum captum ad litus prosecuta est delfinorum ad modum plangentium se habentium: quod Cariae rex videns, captum praecepit absvoli delfinum, quem coetus delfinorum quasi tripudio recipiens, abduxit a litore. Dicunt etiam quod cadens in mare si delfini carnes comestas in se habuerit, a delfinis devoratur si praesentes sint. Si autem non comedenter carnes delfini, etiam mortuus et necatus a delfinis revehitur ad litus. Sub Augusto principe dicunt puerum cibasse delfinum ita quod tandem de manu eius cibum sumpsit et tandem etiam dorso exceptum puerum per mare vexit quo voluit et revexit ad litus, et tandem cum mortuus puer in litore maris ut solebat non compareret, ex dolore ferunt mortuum esse delfinum. Illi penitus simile fertur in mari civitatis Yponensis in Africa accidisse, et iuxta eamdem urbem non longe alium puerum Henanum nomine simile quid cum delfino perfecisse sicut in Persarum scribitur hystoriis. ||

In nostro autem mari Germaniae adiacenti, delfini capiuntur et comeduntur, et ideo fugiunt homines.

| Est autem aliud delfinorum genus de quo narrant quod habet os in medio sui corporis et tantae est celeritatis quod nichil ipsum marinorum evaderet nisi quod capit praedam conversum ita quod ab inferiori os supra convertit, et tunc pisces fugere possunt: et hoc genus odit pullos suos, ita quod masculus devoraret eos nisi femina eos occultaret: mater igitur occultat pullos et secum dicit usque ad completionem, et postquam completi sunt, ita eos odire incipit, quod cum mare devoraret eos si se viribus propriis non defenserent.

Aliud iterum delfinorum genus quidam dicunt esse in Nilo cristata ad modum serrae habens dorsa spinis incidentibus: et hoc genus cocodrillis natantibus se supponit et ventres eorum molles crista dorsi incidit et cocodrillum perimit.

## Unicornis

Plinius Maior, Naturalis historia VIII, 31, 76

in India et boves solidis unguis, unicornes, et feram nomine axin hinnulei pelle pluribus candidioribusque maculis, sacrorum Liberi patris — (Orsaei Indi simias carentes toto corpore venantur) —, asperram autem feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. hanc feram vivam negant capi.

Albertus Magnus, De animalibus XXII, 106

**144. 106. |** **Unicornis** est animal moderatae quantitatis respectu suae fortitudinis, buxel coloris et fissae in duo ungulae pedis, in montibus et desertis habitans longum valde cornu in fronte gestans quod ad saxa limat. et cum ipso perforat etiam elefantem nec timet is venatorem. Hoc animal magnus Pompeius ad spectaculum Romae exhibuit.

| Dicunt autem quod hoc animal adeo virgines puellas veneratur quod ipsis visis mansuescit et aliquando iuxta eas soporatum capitur et ligatur: || capitur etiam cum adhuc est pullus iuvenis et tunc domatur. **20**

## Cathus

Albertus Magnus, De animalibus XXII, 24

**24. |** **Cathus** est animal a capiendo dictum, muribus infestum || et dicitur moribus esse verecundum et pulcritudinis amativum. Habet autem colorem griseum glaciei fortiter congelatae similem: hunc enim colorem habet naturalem, et alios habet ex accidentali cibis, et praecipue qui domesticus est. Est autem mordax valde in multis simile leoni secundum figuram, unguibus et dentibus armatum sicut leo et intrahit et emittit unguis sicut leo.

Carnem autem habet laxam calidam et mollem et dicitur valere podagras caro cati agrestis quando desuper inungitur. Fel autem cati agrestis magni iuvamenti est contra oris torturam. Accipitur autem fel cati nigri medietas unciae et miscetur cum zambach et sic fit ex eo sternutorum. Fel etiam cati praecipue agrestis extrahit fetum mortuum de matrice, quando fit ex eo suffumigatio subtus mulierem in os vulvae et fuerit commixtum cum stercore nigro cati aliquius vel eiusdem culus est fel. Idem etiam operatur fel cati quando miscetur aquae coloquintidae et humectatur inde spongia, et teneat penes se mulier et praecipue si tenet subtus iuxta extrinsecum os matricis.